

KNY-18-00616

# THESES HEBRAICÆ

EX

## PENTATEUCHO

IN DEFENSIONEM VULGATÆ.

## RECTORE MAGNIFICO

COLLEGII ET UNIVERSITATIS

ADMODUM REVERENDO, CLARISSIMO  
AC EXIMIO PATRE

P. TIMOTHEO RAISKY

E SOCIETATE JESU,

SS. Canonum, & SS. Theologiæ Doctore.

EX PRÆLECTIONIBUS

REVERENDI, ac DOCTISSIMI PATRIS

P. JOANNIS MILOTA e Societate JESU,

AA. LL. & Philosophiæ Doctoris, S. linguæ Professoris  
Regii, publici, ac ordinarii.

*Pro Exercitatione publica, absque Præside propugnatæ*

A RR. DD. JOSEPHO SARCANDRO PAVLICK, &  
FRANCISCO ALOYSI SEHORS, SS. Theologiæ in an-  
num tertium &c. & S. linguæ Auditoribus.

*In Alma, Cæsarea, Regia, ac Episcopali Universitate Olomucensi,  
Anno 1754. mense Augusto die horis consuetis.*



T Y R N A V I A E,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU.

KNY-18-00616





# EX GENESI.

בראשית

I.

CAP. I. V. I. *In Principio creavit DEUS Cœlum & terram.*

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ

Probabile sustinemus, mysterium Sanctissimæ Trinitatis ex hoc versu erui, contra Judæos.



Uod Auspice DEO, cui debemus omnia, ita conficimus, dum verbum singulare, constructum cum plurali בָּרָא אלהים absque mysterio haud factum putamus, uti e Rabbinis primis hujus sublimissimi mysterii cognitione donatus sentire videtur Rabbi Huna in expos. Gen. min. *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, creavit Dii.* Quia sic coniunctum communiter DEUM verum a falso secernit; unde per singulare verbum בָּרָא Unitatem naturæ Divinæ, per pluralem vero אלהים pluralitatem personarum significamus; quas insuper literæ initiales in בָּרָא continent, uti בְּנֵי Filium רַבָּה Spiritum, & אֶבֶן Patrem. Pariter do-

cuerunt celebres Scripturæ Interpretes apud Cornel. notati: Lyran. Brugens. Galat. Eugub. & alii. De Rabbinis R. Jehuda dictus a Judæis רַבְנָנוּ הַקָּדוֹשָׁה Rabbi noster sanctus in lib. רַזְיאָה גָּלִילִי cum scripsit: אֵבֶן רָוחַ קָדוֹשָׁה Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Et alii apud P. Kimet, ad quem etiam recentissime accedit R. P. Widenhofer. Quanquam Ven. Bellarminus de Christo l. 2. c. 6. hanc nominis cum verbo enallagen ad idiotismum linguae S. revocarit.

## I I.

**CAP. 3. v. 15.** *Inimicitias ponam inter te & Mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

וְאֵיבָה אֲשֶׁת נִינְךָ וּבֵין הָאֲשָׂה וּבֵין זָרָעֵךְ וּבֵין זָרָעָה הוּא יְשׁוֹפֵךְ רָאשֵׁךְ וְאַתָּה תְּשׁוֹפֵנוּ עַקְבָּךְ

Lectio *hoe ipsa* vulgata a Pontificibus Ecclesiæ Romanæ non est corrupta, quin potius illam retinemus. Hinc Eva, & in sensu spirituali B. Virgo contrivit caput serpentis, gratia Filii sui communicata. Hic vero virtute propria.

**D**EDUCIMUS id 1. ex connexione S. textus, quem juxta literam, ad Evam primam mulierem, recte referri posse cum Tirino hic sentimus. Sicut enim inimicitiae ponuntur inter serpentem ac ipsam primo mulierem, ita & contritionem capitum ejus, velut effectum inimicitias consecutum, ad eandem pertinere existimamus. Lectionem istam amplectitur de Arminianis Hugo Grotius in suis Annotat. ad Gen. & de Judæis Josephus, teste veteri versione a Rufino facta. Catholici,

lici, cum primis S. August., qui constanter *ipsa* legit, ut de Gen. ad lit. l. 11. c. 36. de Gen. contra Manich. l. 2. c. 18. & in Psalm. 36. 48. 103. quos locos omnes editio Mauritana illæsus servarat. SS. PP. Ambros. Hieronym. Gregor. Bernard. aliqui videri possunt apud Tirin. Calmet. Luc. Brugensi. in hunc locum: Del Rio in adag. Sac. Præterea notum accipimus, pronomen hoc fœmineum ex omnibus fere latinis exemplaribus teste Luca Brugensi, Calmet, immo ex ipso Joanne Martianay, qui cum in novo typo operum S. Hieronym. mutasset τὸ *ipsa* in τὸ *ipſe* pluribus offensioni fuit, ut in Harmonia Analytica sua ipse fatetur. Neque efficacitatem habent objectiones, quas hic congerunt, maxime heterodoxi: quamvis enim pronomen אֵת per vau, uti hic scriptum, communiter masculine, sèpissime tamen fœmineum est, præsertim in Pentatevcho, in quo constanter sic scribi pronomen fœmineum, locis tantum undecim exceptis, notat Buxtorff. in Thes. Grammat. l. 1. C. 11. Unde Christianus Stokius in clavi linguae S. conjecturam facit, quod אֵת cum vau olim forte de utroque sexu dictum fuerit. Denique ex Noldii Concordant. partic. Chald. Hebr. patet, in solo libro Genesis pronomen fœmininum ultra tricies sic expressum reperiri. Et vero nihil convincens ex eo adfertur, quod hic cum puncto schurek, masculino generi debito, reperiatur. In aliis vero punctum chirik, fœmininum indicet. Nam puncta ejusmodi non sunt literæ originali coæva, sed a Masurethis apposita, ut plus quam probabile fit ex celeberrimiis operibus Grammatici Hebræi Eliæ levitæ, heterodoxi Auctoris Ludovici Capelli, Joannis Morini, Richardi Simonii Catholicorum, aliorumque plurimorum, etiam Catholicorum. Demum neque verbum masculinum טוֹבָה aut pronomen suffixum masculinum טוֹבָנִי quidpiam evincit, quia enalage, seu discrepancia pronominis cum verbo &c. quoad genus, numerum, ac personas haud infrequens est

in S. lingua ; sic Buxtorff. in Thes. l. 2. c. 8. & 10. aliique Grammatici observant. Plura de hoc loco videri possunt apud Cornel. a Lap. Tirinum , Calmet &c. perperam itaque Calvinus criminatur cum Anama , & nonnullis Acatholicis, socordiam Catholicorum , quasi textus latinus cum codice hebræo , aut Græco nunquam esset collatus. Rectius quippe annotavit Lucas Brugenſ. in locis insignioribus Romanæ correctionis sub Sixto V. *cavisse studiose correctores, ne fœmininum ipsa, quod a veteri interprete datum fuit, mutarent cum masculino ipſe vel neutro ipsum;* quæ ultima quidem laudato Brugensi sensu clariora videbantur, nos tamen ex cohaerentia textus , & oppositionis serpentis cum Muliere, pronomen fœmininum magis appositum censemus. Verum omnibus expensis, non rejicimus lectionem *ipſe vel ipsum,* sed tantum contendimus etiam *ipsa recte legi,* & si quid audemus , lectionem *ipsa cæteris anteferimus.* In reliquo utramque lectionem in eundem sensum recidere, nihilque in sensu allegorico, Christo , benedicto semini Muleris detrahi, apud Cornel. a Lap. atque alios Scripturæ Interpretes fusius discussum, & probatum est.

## III.

**CAP. 4. v. 1.** *Eva concepit , & peperit Cain, dicens:*  
*posſedi hominem per DEUM.*

קָנָתִי אֶשְׁאַת יְהוָה

Falsa quorundam Acatholicorum versio est, *posſedi hominem DEUM,* quippe Christus verus Messias, non ex Cain, sed ex Seth descendit.

**P**rimum vocula אֶשְׁאַת apud Hebræos variam patitur notionem , nec semper in consortio verbi activi notam ca-

casus quarti sustinet. Sic Lutherus ipse Hebræis Reg. 1.  
c. 18. v. 32. vertit ly **תְּאַת** האבנִים ex lapidi-  
bus : apertius docent versiones diversæ , Chaldaica , Arabi-  
ca , Syriaca , Targum , & Mercerus hic **תְּאַת** pro **עָם** מְאַת **מִן** a , vel cum , Onkeli , coram Domino , ut sensus sit , possedi  
hominem per DEUM , aut cum DEO , id est beneficio DEI .  
Accedit Drusius , qui ad quæsumum , an Heva existimaret se  
Messiam peperisse ( quæ ratio cum præcipua partis adversæ  
est , quasi revelatio Evæ facta fuisset de nascituro Messia )  
respondet : Hevam hoc non dicere , sed acquisiui virum —  
cum Domino ; cum Messias promittatur futurus semen  
Mulieris tantum : Cain autem fuerit etiam semen viri ;  
neque etiam Cainum Genealogia Servatoris complectitur .  
Gen. cap. 5. v. 3. & si quidem ad accentum tipcha , adver-  
timus sub voce **שָׁנָה** quoniam accentibus multum auctorita-  
tatis tribuunt complures Rabbini , atque etiam Acatholici ,  
separandum est nomen **שָׁנָה** ab **תְּאַת**

## I V.

Eodem CAP. v. 7. Nonne si bene egeris , recipies ? si  
autem male , statim in foribus peccatum aderit ? sed  
sub te erit appetitus ejus , **וְ** tu dominaberis illius .

וְאֵלֶיךָ תוֹשְׁקָה וְאַתָּה תִּמְשֵׁל כָּךְ

Non dominium Abelis & comparationem primo-  
geniti ad secundo genitum , sed dominium appetitus ,  
seu peccati , in homine defendimus contra Calvinum .

**A**uctoritate utimur S. Hieronymi de quæst. Hebra. ita  
dicentis : Verum , quia liberi arbitrii es , moneo , ut  
non tibi peccatum , sed tu peccato domineris ; quod autem  
in

in septuaginta Interpretibus fecit errorem , illud est , quia peccatum חטא in Hebræo generis masculini est , in Græco fœminini , & qui interpretati sunt masculino , illud , ut erat in Hebræo genere , transtulerunt . Verba D. Doctoris de voce masculea חטא firmantur in scriptura eodem versu : חטא רכז peccatum cubans , quod adjectivum verbale Benoni non fœmininum , sed masculinum est ; deinde affixa ejus , illius ad id referenda sunt , de quo Deus mox ante locutus est ; DEUM vero non esse locutum de Abele , sed peccato , textus aperte docet . Præterea consentit Targum Hieros . Verumtamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiae malæ , & tu dominare ci , sive ad bonum , sive ad malum . Inter Criticos sacros , quorum aliqui neutrum sensum rejiciunt , nostrum præeligit Drusius ; Macerius quoque peccatum intelligit , verum per fidem ejus dominium , quod foro altiori tradimus . Neque נא etiam hic interpretationem exigit , quam ad idem ac subter , sub , quemadmodum c. 3. v. 16. ואל איש תשיקת secundum Montanum : & ad virum tuum desiderium tuum . Lutherus reddidit : voluntas viro tuo subsit . Et Aben Ezra : & ad virum tuum obedientia tua . Apud Buxtorff . in lexico sub R. שׁו Vulgatus autem : sub viri potestate eris .

## V.

CAP. 14. v. 18. *Melchisedech Rex Salem , proferens panem , & vinum , erat enim Sacerdos DEI altissimi .*

ומלכי צרך מלך שלם הוציא לחם וין והוא כהן לאל עליון

Melchisedech non veluti Princeps convivium quodam profanum , sed verus Sacerdos , licet non ea dignitate Sacerdotum donatus , quæ ab ipsomet DEO ,

publica lege, stabili institutione, certisque cæremoniis collata est, sacrificium Eucharisticum præter cæterorum omnium Sacerdotum consuetudinem, panis nimirum & vini pro victoria Abræ DEO obtulit.

**R**ationalem conjunctionem cum sacrificio contra Kemnitium evincit contextus memorati versus, nulla siquidem ex contextu apta connexio Sacerdotis cum profano convivio, & כה proprie Sacerdotem significat a R. זה sacerdotio functus est, ex communi scripturæ usu; quare Melchisedech panem & vinum protulit, ut sacrificaret; nimirum: ut τὸ enim in Vulgata panem cum vino prolatum ratione sacrificii importat, ita litera י vau hoc causalis est, & non mera conjunction. Sic Gen. 20. v. 3. Gen. 30. v. 27. Experimento didici, quia benedixerit mihi DEUS propter te Exodi 13. v. 15. 2. Parolyp. 32. v. 9. item communis Patrum in Ecclesia lectio, & multorum Rabbinorum expositio testantur. Addimus psalm. Hebræis 110. de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* At cur? quærerit Ven. Bellarm. de verbo DEI lib. 2. c. 12. nisi quia ille obtulit panem & vinum; Hic vero Se Ipsum in specie panis & vini. Neque ulla alia posset adduci mentio de sacrificio Melchisedech in Scriptura, si tum non sacrificasset. Proinde Melchisedech verus Sacerdos, licet non talis, qualis Aaron, & filii, & successores ejus; sed erat singularis, qui, ut ait Apost. de illo ad Hebr. c. 7. v. 16. *Non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.*

**Cap. 36. v. 24. Iste est Ana, qui invenit aquas calidas in deserto.**

אשר מצה את הימים

Defenditur vulgata, Aniam non fuisse adinventorem procreationis mulorum, secundum sectarios, sed verosimilius aquarium in deserto calidarum, vimque quandam medicam habentium.

**T**Ametsi non admodum mirum nobis videri debeat, quod vocem **הימים** aliter & aliter Interpretes explicent; cum enim vera vocum significatio, si eam antecedentia, ac consequentia S. textus non satis manifestant, ex collatione variorum Scripturæ locorum, ubi eadem voce repertuntur, soleat plenius nobis innotescere, vox vero **הימים** non alibi, quam hoc loco legatur, primum fuit, Interpretes in opiniones prorsus differentes abire. Non tamen censemus veram vocis hujus significandi vim assicutatos Rabbinos, quibus heterodoxi (forte eo etiam titulo, ne vulgato Interpreti ab Ecclesia recepto, subscribant) communiter accedunt, & per **הימים** mulos designari arbitrantur. Contra horum opinionem facit 1. quia, ut observat R. P. Widenhofer, verbum **מצע** licet ultra 400. in Scriptura legatur, nunquam tamen significat invenire id, quod nondum erat, seu novum quid excogitare. Mulorum vero procreatio, quam arte, & industria Ana inventisse dicitur, utique fuisset excogitatio huiusmodi rei novæ. 2. Muli in Scriptura communiter vocantur **פרדים** voce ab **הימים** valde discrepante; vero nunquam appellantur.

tur. Insuper Scriptura nullam ante Regum tempora mentionem mulorum facit, cum tamen pecora Israelitarum, & hostium frequentius post Anæ tempora recenseat. Merito itaque colligimus mulorum inventionem posteriorem esse Anæ temporibus. Significari autem aquas calidas confirmat lingua Punica, Hebraicæ affinis in qua מִם thermas indicat; unde & D. Hieronym. in quæst. Hebr. ait: *Nonnulli putant aquas calidas juxta Punicæ linguae viciniam, quæ Hebreæ contermina est, hoc vocabulo signari.* Reliquique hanc veteris Interpretis significationem in textu Vulgatae intactam. Aliam item opinionem ibidem S. Doctor refert scilicet: מִמְּנָה Maria juxta alios appellari, iisdem enim literis (de punctis hodiernis tum temporis nihil constabat) scribuntur maria, seu congregations aquarum. At horum opinionem cum præcedente conciliat Tirinus, qui locum hunc non de quarumcunque aquarum congregatione vult intelligi, sed de aquis calidis, medicam vim habentibus, quales etiam in suis thermis Carolinis, aliisque vicina Bohemia nobis exhibit. Del. Rio in eundem locum addit, ejuscemodi aquarum notitiam, Interpretem nostrum etiam ex traditione accepisse. Alii denique olim מַבְשֵׁל balanea, aquas calidas ex מְלָא calidus, & מִמְּנָה aquæ, uti hodie versio Syriaca habet, scriptum fuisse arbitrantur. Ex quibus multo verosimilior nobis fit Vulgatae lectio, quam Rabbinorum.

**CAP. 37. v. 35.** *Descendam ad filium meum, lugens in infernum.*

**וַיֹּאמֶר כִּי אָרְדֵּ אֶל בְּנֵי אָבֵל שָׁאַלֵּה**

Jacob non descensurum se dixit ad sepulchrum, sed ad infernum, seu limbum, locum subterraneum, ubi animæ Majorum suorum interea quieverant.

**C**ommonstramus ex 70. Interpretibus SS. PP. August. quæst. 126. in Gen. Ambros. Ruperto, Eucherio, Beda apud Del Rio in adag. fac. qui cum nostro Interpretæ **שָׁאַל** constanter pro inferno retineri maluit, & ex editione nova R. P. Debiel, in qua hunc locum ipse emendarat, quamvis in reliquis scripturæ locis, ubicunque repertum legitur **שָׁאַל** versionem Montani fecutus sit. Atque ratione valida Interpretum communi, assertionem nostram stabilimus: quum Jacob filium suum devoratum a fera credidit; qui vero filio se comitem futurum dicat, & conjungi cum illo desideret, an in sepulchro, in quo ossa illius esse non credebat? igitur in limbo, ubi animæ majorum suorum, veluti in sinu Abrahæ quiescentes interea detinebantur. Et quamvis non diffiteamur particulam **לֹא** nonnunquam significare propter, ut Thren. 5. 17. 18. qui quidem mos loquendi, sine addito aliquo, nonnullis displicet, quasi sensus sit: descendam propter filium ad sepulchrum, id est, mœrore confectus moriar; communissime tamen præpositionem *ad* exprimit; nihil tamen nos hic urget, ut a communi significatione recedamus.

## VIII.

CAP. 49. v. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, &  
Dux de fæmore ejus, donec veniat, qui mittendus  
est, & ipse erit expectatio Gentium.

לא יסוד שבט מיהודה ומהקק מבין רגליו עד כי יבא שליח ולו  
יקחת עמים

Afferimus contra Judæos veritatem Prophetiæ non  
alio sensu, atque Vulgato esse intelligendam; idcirco  
illa pridem completa, verum Messiam, Christum Ser-  
vatorem orbi datum.

**C**hristianorum Interpretum unanimem habemus sensum  
cum Vulgato, ut in recensendis operam necessariam  
non judicemus. Videri ex pluribus possunt, cumprimis  
Tumell. Cornel. a Lap. Critici sacri &c. Rabbinorum vete-  
rum documentis in hunc locum magis utimur, quoniam  
experimento didicimus eos legi orali plus inhiare, atque  
scriptæ. Et ut singula suo ordine conficiamus, שבט  
hujus loci non tribum, ut Deuteron. 18. v. 1. non calatum, ut  
Jud. 5. v. 14. non virgam afflictionis, ut Job. 9. v. 33. sed  
potestatem, seu sceptrum notat, ut psalm. Hebræis 45. v. 7.  
Ratio sumitur ex contextu, ex interpretatione Rabbino-  
rum, traditione, Targum Jonath. פָּסָקָן מֶלֶכִין וְשָׁלִיטִין non deficient Reges, & dominatores; Targum Hierof.  
פָּסָקָן מֶלֶכִין לא non deficient Reges; Targum Onkelosi  
לא פָּסָקָן יְהִי עֹבֵד שׂוֹלְטָן non auferetur dominium; Aben Ezra  
תְּהִקָּה sceptrum, id est, haec magnificentia: multo plu-  
res adferunt Critici S. tantum abest, ut Jacob benedicens  
Judæ, virgam afflictionis diuturnam prophetarit. Quod  
ad vocem מהקק attinet, non sribas tantum simplices, sive  
legis tantum peritos, sed legislatorem Ducem, & Princi-

pem terræ designat a R. ppn scripsit, statuit, unde nomen pn universis statutum est, ita s̄epe scriptura loquitur Deut. 33. v. 2. psalm. Hebræis 60. v. 9. Jud. 5. v. 14. Isa. 33. v. 22. Rabbini veteres, R. Kimchi in lib. Rad. פָּנָה appellat apud R. P. Widenhofer, qui legum ferdarum jus habet. R. Abraham Ben Ezra exponit magnum præsidentem. R. Salomon Principem. Targ. Moysen ea significatione vocat scribam magnum apud Mercerum. Idcirco potestas regendi in tribu Juda servata usque ad tempora Herodis Ascalonitæ, saltem in jure, quod nominata tribus post captivitatem Babyloniam, eligendo Machabæos in Duces nunquam in eos detulit, nec cessit, donec sub hæc advenisset הַלִּשׁ de hujuscे vocis origine non multum solliciti reddimur, ceu a R. הַלִּשׁ ceu הַלִּשׁ mittendum tranquillum, Pacificatorem, donatum, dixerint alii, omnes tamen istæ expositiones Uni JESU Christo vero Messiæ conveniunt; immo tota Rabbinorum Synagoga apud laudatos Christianos Interpretes, ne in repetendis excedamus, per שֵׁילָה Messiam fatetur; ex omnibus sit scriptor celebris R. Salomon Jarche מֶלֶךְ הַמִּשְׁיחָה iste est Rex Messias. Pariter sensum alterum, non auferetur sceptum de Tribu Juda, & Dux de fœmore æternum, postquam veniet Mef-sias, ad quem supremum configiunt Judæi, & continuationem sceptri inepte tuentur, rejicimus; siquidem יְהִי accentu jethiv notatum ad præcedens colon pertinere, nec ex natura sua sejungere, quam explorare orationem, cum R. P. Widenhofer deducimus propter accentum: athnak, sub voce רְגִלִּין qui duo puncta valet, & orationem quiescere facit. Denique ubi hodie Rex eorum? aut quis a 1700. & ultra annis memorari potest? quæ continuatio sceptri? Satius itaque futurum est, ut Judæi suas invalidas, & futilles inventiones ab intellectu suo removeant, & credant, in Quem transfixerunt.

EX EXODO.

וְאֱלֹהֶם שָׁמֹות

IX.

CAP. 4. v. 21. *Ego indurabo cor Pharaonis, ו non dimittet populum.*

וְאַנְיַ אֲחַזֵּק אֶת לְבָבוֹ וְלֹא יִשְׁלַח אֶת הַעַם

Contra Calvinum , & Lutherum tuemur, non esse legendum cum iis, *Ut non dimittat*, sed: *Et non dimittet* cum Vulgato. Nam DEUS nequit agere positive in Pharaonis inobedientiam.

**Q**uia litera , communiter pro conjunctione ו usurpatur. Et sic sensus Vulgati ad literam Hebræo respondet ; tametsi hæc præfixa apud Hebræos pro varietate sensus variam pariter sustineat notionem ; hic vero particulam vetandi , uti Calvinus , & Lutherus interpretati , nunquam dicere possumus , nec audemus : mandarat enim DEUS Pharaoni , minis , & acerbitate poenarum adhibitis , dimittere populum ad sacrificandum sibi in deserto , & nihil legi suæ adversum mandare potuit , nec DEUM Bonum perfectissimum tantæ obstinatæ inobedientiæ Autorem fuisse sana Theologia , & vera fides Catholica docent. Sed auctor malitiæ ipse Pharao C. 9. v. 34. clare ex hebræo designatur. יְכַבֵּד לְבָבוֹ הוּא וְעַבְדֵי Et ingravavit cor suum ipse , ו servi ejus. Præterea gemini Hæresiarchæ versionem neminem de Criticis probasse colligimus. Clarius in hunc locum scripsit , intellige , verba damus: *hanc obdurationem , quemadmodum* ו Paulus ait ad Rom. 1. v. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum , in immunditiam , ut consumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. *Familiare est enim huic linguae DEO tribuere , qua Ipse evenire finit.*

EX

EX LEVITICO.

וַיְקָרֵא

X.

CAP. 6. v. 1. & 6. *Anima, quæ peccaverit - - - pro pec-  
cato autem suo offeret arietem immaculatum de gre-  
ge, & dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem,  
mensuramque delicti.*

בְּעַרְכֵךְ לְאַשְׁם אֶל הַכֹּהן

Æstimatio Oblationis pro delicto non erat acci-  
pienda ab libertate Moysis & Sacerdotum, sed a gravitate  
delicti majore vel minore; quam igitur reus sacerdoti in  
veteri testamento confiteri debuit.

**C**ONTRA versionem Lutheri, cuius sensus: Dabit arie-  
tem dignum oblatione pro delicto: defendimus veri-  
tatem textus Vulgati, siquidem non oblatio quæcunque,  
sed æstimata, & taxata juxta gravitatem delicti hoc loco  
intelligitur; patet etiam ex textu hebræo בְּעַרְכֵךְ לְאַשְׁם quem  
Montanus transtulit, in ordinatione tua ad delictum; plenius  
R.P. Widenhof. juxta æstimationem tuam ad delictum. Optime  
supra Vulgatus. Vox nimirum עֲרֵךְ a R. עֲרֵךְ æstimavit, ta-  
xavit, ordinavit, æstimationem, taxationem vulgo importat,  
ita, ut clarum nobis fiat, æstimationem Sacerdotis non fuisse  
tantum sitam in libera judicandi facultate, verum in mensura,  
& æqua proportione ad delictum. Porro illud confiteri de-  
buit reus, ut sacerdos apte ad delictum majoris, vel mi-  
noris pretii arietem injungere valuerit. Atque istam con-  
fessionem peccatorum, Sacerdoti faciendam, Vatablus in v. 4.  
hujus Cap. וְהִיא כִּי יִחְטֹא Et erit, cum peccaverit, ait:  
coram sacerdote fatebitur se delinquisse, & alia scriptura hoc

eo-

הזהר אשר חטא & eodem libro C. 5. v. 5. clare docet: confessio  
confitebitur, quod peccavit.

## EX NUMERO.

במדבר

### X I.

CAP. 27. v. 21. *Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar consulat Dominum; ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo, et cetera multitudo.*

ולפנֵי אלעוזר הכהן עמד ושאל לו במשפט האורים לפנֵי יהוה

Juxta versionem Ariæ Montani: Et ad facies Elazar Sacerdotis stabit, & petet ei in judicio Urim coram Domino.

**A** Pte ad Exod. 28. v. 30. per voces hebraicas אוּרִים תְּמִימִין per tummim penes summum Sacerdotem, ius consulendi Dominum, Deique voluntatem declarandi fuisse adstruimus. Geminam hanc vocem אוּרִים & תְּמִימִין Noster Interpres doctrinam & veritatem retulit: illam a R. docuit; istam a R. אַמְתָּה credidit: Alii dixerunt illuminationes & perfectiones, a R. אור illuminatio, lumen, & a R. חֲמָם perfecit, ab hac nomen חֹמֶת perfectio. Neutra versio alteri opposita, at utraque in eundem sensum recidit; quarum altera doctrina illuminat, altera veritas complet, ac perficit doctrinam: & quamquam non satis constet, quid fuerint Urim & tummim, his tamen honoratum Pontificem, accepisse facultatem, legem Divinam infalibiliter cognoscendi, promulgandi, atque ita populum dirigendi ad

C

Bo-

Bonum Religionis , non tam ex recens adducto , quam aliis Scripturæ locis propugnamus. Ut Deut. 17. v. 8. 9. 10. 11. 12. 2. Paralyp. 19. v. 11. Cornel. a Lapid. Salian.

## EX DEUTERONOMIO.

אליה הדברים

### X I I.

CAP. 29. v. 29. *Abscondita Domino DEO nostro , quæ manifesta sunt nobis , וְfilii nostris , usque in semperitnum , ut faciamus universa verba legis hujus.*

והנגולות לנו ולבנינו עד שלם לעשות את כל דברי התורה  
זהאות

Adversum Hebræos , non obstante hoc loco , recte sentimus , leges veteres judiciales & cæmoniales non esse æternas & immutabiles , verum tempore Messiæ abrogatas.

**V**Im argumenti sui maximam arbitrantur ex Rabbinis R. Moyses Majemonides , abbreviate Rambam l. de funda. legis cap. 9. §. 1. Abarbanel de captiv. fidei C. 13. & Recentiores , quia lex in Scripturis dicitur observanda לעולם in æternum. Sed וְהִיא hæc vox a R. טוֹלֵם latuit tempus homini absconditum , ceu istud infinitum , ceu finitum sit , denotat , auct. Buxtorffio ; & plenius Galatino , continuam rei durationem , vel ætatem non interruptam significat , quæ licet finita , perpetua dicitur , nequaquam tamen æterna , & absque fine ; uti consul perpetuus , qui sine interruptione consulatum gerit. Quid quod perpetua adhuc censemur , & si certus finis statuitur. Exod. 21. v. 6. עֲבָדְךָ לְעוֹלָם

ט

& serviet ei in sæculum, i. e. usque ad annum 50. Jubilæi.  
 Livit. c. 25. v. 40. quare discrimen observamus inter perpetuitatem æternam, & temporaneam: illam, cuius limitem nullibi statuit Scriptura, contendimus æternam, sic Dan. 12.  
 v. 3. Fulgebunt - - - quasi stellæ in perpetuas æternitates  
 יְמִינֵי in sæculum & perpetuum: Istam, cuius terminum indicat, probamus temporaneam. Exod. 21. v. 6.  
 Gen. 17. v. 8. Deus promittit Abrahamo, daboque tibi ---  
 omnem terram Chanaan in possessionem æternam מִן־הַנֶּגֶב in possessionem sæculi, & tamen Deut. 29. v. 28. per anticipationem de Israelitis locutus est Moyses, Et ejecit eos de terra - - - projecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur. Atque hujusmodi perpetuitatem legum judicialium, & cæterialium Scriptura aperte docet Isa. 2.  
 v. 3. Quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem. Nulla ratione vetus, quæ exivit de monte Sinai; igitur Messiae. Item: Isac. 2. v. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus Mons, domus Domini - - - & fluent ad eum omnes gentes. Ubi R. David Kimchi per dies novissimos & finem dierum, dies Messiae intelligit. Et in טִירָה Tunc sedebit Deus Benedictus in horto Eden in medio justorum, & explanabit eis legem novam, quam dabit per Messiam. Isa. 42. v. 4. Et legem Ejus Insulæ expectabunt; populi scilicet extra terram promissionis; Israelitis enim vero dictum est a Jeremia Propheta c. 31. v. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fædus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum; & v. 33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viiiceribus eorum. Propterea pactum legis vim habet Deut. 29. v. 1. Hæc sunt verba fæderis, quod præcepit Dominus Moysi. Igitur, si lex nova Insulis expectanda, pactum novum, idque diversum a veteri futurum

est, inferimus: futurum aliud, non ea novitate, quam R. David Kimchi cum posteritate sua obcœcata in acuratiori observantia constituit, quia varia observantia non variat, aliamque facit legem, alioquin alia lex fuisset Moysis, cuius constanter erat observans, & alia Hebræorum, quam isti frequenter violarunt; sed legem ipsam fore aliam. Igitur mutatam veterem ante sœcula Judæi intelligent, cum universis fidelibus una eademque ad salutem necessaria sit.

